

offerant spirituales hostias gratas acceptasque Deo per C. I. 2. Petr. II. Apoc. I.6. Quisque nostrum illud Augustini sibi dictum putet, *Noli extrinsecus quærare, quod macies, babes in te, quod occidas, si superbiam rejecas, immolas vitulum, si iracundiam, arietem, si libidinem, hircum, si vagos & lubricos cogitationum volatus, columbam & turturem. In Ps. LI.*

§.XXII. Quod reliquum est, hoc fidei caput maximam afflictis animis affert consolationem. Quod probe perspexit Lutherus noster, quare cum ex ipso quæreret Cruciger, quodnam optimum esset in S. L. oraculum, hoc responsi dedit: *En dictum: Iuravit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in seculum secundum ordinem Melchisedeci Ps. CX. 4.* Simus criminibus commaculati, quibus transgressi legem divinam æternas promeruimus pœnas, en Pontificem N. T. Sanctissimum, qui nos Deo reconciliavit, ac sacrificio proprio semel in cruce peracto cuncta expiavit scelera, atque ut in gratiam a Deo reciperemur, effecit, factus propitiatio pro nostris & totius mundi peccatis. Neque nunc nos destituit aut desertos esse vult, sed vi meriti sui longe pretiosissimi ceu fidelis Pontifex pro nobis apud Patrem coelestem gravissime deprecatur.

*Huic sit laus, honor & gloria in  
sempiterna secula Amen!*

